

ad illos habendos a nobis, quasi ex nobis, quia tota efficientia, imo et efficacia illorum est ab Spiritu Sancto, ut declaratum est.

CAPUT V.

UTRUM MOTUS GRATIÆ EXCITANTIS SINT INDELIBERATI, ITA UT EX NECESSITATE, NON LIBERTATE FIANTE.

1. *Status quæstionis.* — Ratio dubitandi esse potest, quia gratia excitans est necessaria ad salutem, et ad bene operandum: motus autem indeliberati, præsertim voluntatis, nihil conferunt ad salutem, quia nec moraliter boni neque meritorii esse possunt; ergo non potest gratia excitans in his motibus consistere. Deinde quoties Sancti postulant a Deo dona gratiæ, non postulant ab ipso motus indeliberatos, sed morales, ac perfecte humanos; ergo signum est indeliberatos motus non pertinere ad dona gratiæ, præsertim quæ sunt ad salutem necessaria; nam omnia hujusmodi dona frequenter postulantur a Sanctis, ut passim in Scriptura constat, et refert late Augustinus in lib. de Grat. Christi, et de Nat. et grat., et de Grat. et liber. arbitr., et aliis, inde ostendens gratiæ necessitatem. Unde e contrario, ex eo quod tales motus non postulantur a Deo, recte inferimus non pertinere ad dona gratiæ. Denique inductione id ostenditur; nam actus fidei liber est, et tamen est gratia excitans ad spem; spes etiam est actus liber, et tamen excitat ad charitatem; similiter timor voluntatis est actus liber, et excitat ad pœnitentiam, et sic de aliis; ergo non oportet ut gratia excitans sit actus indeliberatus.

2. *Assertio.* — *Actus gratiæ pure excitantis sunt necessarii et indeliberati.* — *Est communis.* — *Probatur primo auctoritate.* — Nihilominus dicendum est proprios actus pure excitantis gratiæ liberos non posse esse, sed necessitate quadam sine operantis deliberatione fieri, et in hoc sensu recte indeliberatos dici. Assertio est communiter recepta a Theologis in cap. 2 allegatis; nam Vega tam necessarios putat hos motus gratiæ excitantis, ut homo passive in eis recipiendis tantum se habeat. Alii vero, licet dicant efficienter a nobis elici, dicunt tamen fieri sine cooperatione libera; et in fine ejusdem capituli explicavimus de his actibus sententiam Concilii Arausici et Augustini, multa esse in homine bona, quæ non facit homo, utique libere cooperando, propter quod dicuntur hi actus a solo Deo fieri, ut loquitur Augustinus, libro 2 contra duas

Epistolas Pelagian., cap. 9, dicens: *In uno istorum (id est, in actu deliberato) cooperatur Deus homini facienti, alterum vero (id est, actum gratiæ excitantis) solus facit*; ergo talis actus non est liber, quia sine cooperatione hominis libera non fit actus liber. Dices: esto non sit talis actus in se et proxime formaliter liber, nihilominus potest esse aliquomodo liber, quatenus pendet ex aliqua dispositione libera, sine qua non daretur. Respondetur nos nunc loqui priori modo, et cum proprietate de actu libero; deinde addimus, licet fortasse aliqua gratia excitans sit ex priori dispositione libera hominis, nihilominus totam gratiam excitantem hoc modo liberam esse non posse, quia prima dispositio libera priorem excitantem gratiam necessario supponit, ut inferius ostendemus.

3. *Probatur secundo.* — Unde argumentor secundo; nam vocatio est gratia excitans, ut supra visum est; sed vocatio non est homini libera, quia non est in potestate ejus, et ideo non potest ipsi attribui; ergo etiam gratia excitans non est libera. Minor est Augustini, lib. 83 Quæstionum, in 68, dicentis: *Si quis sibi tribuat quod veniat vocatus, non tamen potest sibi tribuere quod vocatus sit*, quia nimirum venire est liberum homini, non autem vocari; et ideo Paulus primum prædestinationis effectum posuit in vocatione, dicens ad Roman. 8: *Quos prædestinavit, hos et vocavit*; et in cap. 9, ut declararet opus gratiæ, dixit: *Non ex operibus, sed ex vocante*, quia ex vocatione, quæ a solo Deo est, gratiæ opus incipit, ut late ponderat Augustinus dicta q. 2 ad Simplician., dicens: *Nisi vocando præcedat misericordia Dei, neque credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari*: et infra dicit: *Quia non præcedit voluntas bonam vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur*. Non est ergo nobis libera vocatio; unde multo minus est in potestate hominis quod hoc vel illo modo vocetur, sed in hoc maxime gratia Dei commendatur, ut dixit idem Augustinus libro de Spirit. et litter., cap. 34, ubi docet piam voluntatem divino muneri tribui, quia *visorum suasionibus agit Deus ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus, per evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem*. Antecedit ergo hæc gratia potestatem hominis, et a fortiori etiam usum libertatis præcedit: non ergo consistit in actu libero, sed necessario.

4. *Probatur tertio ratione ex Augustino desumpta.* — Ratio denique ex eisdem locis Augustini sumitur, quia hæc gratia hominem quasi dormientem vel non attendentem, ad vigilandum vel attendendum excitat; ergo ex modo suo habet ut a foris veniat, et non ab ipso homine; ergo ex propria ratione habet ut non sit libera, et ideo satis indicatur hæc proprietas hujus gratiæ illis verbis: *Ecce sto ad ostium, et pulso*, Apocal. 3; et in ipso nomine vocationis includitur: nam vocatio non est a vocato, sed a vocante: unde est illud Prov. 1: *Vocavi, et renuistis*. Deinde excitatio hæc ab intellectu incipit, quia non potest voluntas nisi per intellectum excitari: intellectus autem excitari potest medio objecto ab extrinseco agente proposito. Primus ergo actus excitantis gratiæ in intellectu est; ille ergo actus non potest esse liber, cum antecedit motionem voluntatis, quæ sola est formaliter libera. Et hoc modo reducit sæpe Augustinus hanc primam excitantem gratiam ad sanctam et piam cogitationem, ut lib. 2 contra duas Epistol. Pelagian., cap. 8, et de prædestinat. Sanctor., cap. 2, sic interpretans illud Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*. Et eodem modo dixit Bernardus, lib. de Grat. et liber. arbitr., *Deum inchoare gratiam in nobis, dum seminat cogitatum*. Est autem quasi naturalis modus operandi voluntatis nostræ, ut, præventa cogitatione aliqua per quam sibi objectum fugiendum vel prosequendum proponitur, statim in actum indeliberatum prodeat, priusquam intellectus plene advertat ut deliberare possit; ut ergo Deus in his motibus gratiæ sese accommodet naturæ, et ut utramque potentiam juvet, per illam cogitationem intellectus statim movet et excitat voluntatem ad aliquem affectum amoris, vel timoris, prosequutionis, aut fugæ, qui proinde indeliberatus est, et per modum motus, quem primo primum appellant.

5. *Effugium.* — *Occluditur.* — Dices hinc solum concludi unum actum intellectus, et alterum voluntatis, esse non liberum in ordine gratiæ excitantis. Respondetur imprimis hos primos actus non semel tantum in vita esse necessarios, sed singulis temporibus, diebus, seu horis, in quibus mens incipit ad novum supernaturalem actum moveri, postquam prior excitatio et cogitatio omnino cessavit, ita ut neque ipsa, neque virtus ejus manserit, et hac ratione sæpissime hac prima gratia excitante indigemus. Deinde addimus, etiamsi mens jam incoeperit operari, vel etiam delibe-

rare, aut consentire, Deum sæpe immittere novas illustrationes et inspirationes, vel ut intellectus melius et clarius rem apprehendat, vel ut majori firmitate judicet, vel plura intelligat et penetret, vel ut voluntas magis afficiatur, majori cum suavitate et delectatione operando; et isti omnes motus præveniunt usum libertatis, ut per se patet. Addendum vero est, post primam cogitationem et motionem posse etiam subsequi aliquam liberam applicationem mentis ad majorem considerationem rei per illam primam cogitationem propositæ: quia, ordinario et humano modo procedendo, inter illam primam cogitationem et consensum vel dissensum plene deliberatum, intercedit aliquod tempus in quo voluntas, jam excitata per primam cogitationem, et divina gratia adjuta, potest vel applicare intellectum, ut ex illa prima cogitatione magis inquirat et discurrat, vel avertere alias cogitationes, quæ illam primam possunt impedire. Hoc enim est consentaneum connaturali modo procedendi hominis in suo discursu, et progressu mentis, et non repugnat gratiæ, imo est valde consentaneum suavi ejus motioni, ideoque nullam cooperationem liberam impedit, quam voluntas per gratiam reparata possit adhibere. Quod ex antiquis notavit Alensis, 3 part., q. 10, alias 61, membr. 3, artic. 4, § *Ad aliud*; et ex modernis Molina in Concord., disputat. 43; et ideo in assertionem limitate locutus sum de actibus puræ gratiæ excitantis, quia illi soli sunt simpliciter necessarii; cum illis autem misceri possunt considerationes, vel volitiones, aut affectiones liberæ quæ jam non sunt ex sola gratia excitante, sed etiam ex adjuvante, ut infra dicemus.

6. *Ad primam rationem dubitandi, supra num. 1.* — *Ad secundam.* — Ad primam ergo rationem dubitandi in principio positam, respondetur hos actus gratiæ excitantis, præcise spectatos, non conferre quidem ad salutem tantquam per se meritorios vitæ æternæ, neque tanquam dispositiones proprias, quibus homo iste moraliter se ad justitiam disponit; nihilominus tamen conferre multum, ut per eos Deus inchoet in nobis opus gratiæ, præparando voluntatem, et initium bonæ voluntatis illi conferendo, quod sine usu libertatis optime fit. Ad secundam, negamus Sanctos non postulare a Deo hanc gratiam excitantem, contrarium enim constat experimento omnium, qui sapienter et secundum fidem orare didicerunt. Et in Scriptura ejusmodi petitiones sæpe leguntur; hujusmodi enim sunt illæ orationes:

Converte nos, Deus, salutaris noster, Psal. 84; *Converte nos, Domine, et convertemur*, Thren. 5; et sæpius in Psalm. 79: *Deus, converte nos*. Et in Psalm. 118, omnes illæ petitiones: *Revela oculos meos, Da mihi intellectum, Inclina cor meum in testimonia tua*, sunt de hac gratiâ excitante, et ad eandem pertinet illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Et eandem postulat sæpe Ecclesia in orationibus publicis, ut supra, veluti ex collectis Dominicæ 24 post Pentecostem, et Dominicæ 2 Adventus.

7. *Ad tertiam*. — Ad tertiam, respondetur gratiâ excitantem simpliciter et per antonomasiam dictam esse, illam quæ fit in nobis sine nobis, ut diximus, et ideo non omnis actus excitans alium, etiamsi supernaturalis sit, ex gratiâ factus, dicitur gratiâ excitans, si sit actus deliberatus, et humano ac morali modo factus; tum quia talis actus est effectus gratiæ adjuvantis et cooperantis; tum etiam quia hujusmodi actus non computantur proprie inter auxilia gratiæ, sed potius sunt fructus auxiliorum gratiæ; tum denique quia hi actus non dantur per se primo ut excitent ad alios, sed per se ac propter se donantur, consequenter vero habent vim excitandi; gratiâ autem excitans proprie datur ad illa quæ subsequuntur. Dices, actum deliberatum excitantem, si per se primo datur ad hoc munus, et per modum auxilii ad alium similem deliberatum, esse gratiâ excitantem respectu alterius actus subsequentis, et ideo, ut sic, non tribui homini, sed soli Deo, quia homo non excitat seipsum. Sed, quod spectat ad appellationem gratiæ excitantis, non est contendendum de nomine, nam in bono sensu potest admitti, cum revera prior actus gratiæ deliberate factus possit ad subsequentem excitare, dummodo non negetur differentia talis actus a propria et pura gratiâ excitante, quam explicuimus. Et tamen modo quod unus ex his actibus excitat ad alium, non video cur non possit hoc tribui tali actui, ut ab homine fit cum auxilio Dei, quia illa excitatio non est necessaria, et quasi ab extrinseco, sicut est altera, quæ fit per proprios motus gratiæ excitantis, sed est libera; ergo est non tantum a Deo, sed etiam ab homine, unde propriissime etiam dicitur homo excitare seipsum, vel per se in naturalibus actionibus, vel per se in supernaturalibus; sicut enim unum corpus ab alio motum potest movere aliud, ita homo excitatus a Deo potest ulterius excitare seipsum, et ad hoc utimur consideratione et meditatione re-

rum æternarum, ut nos ipsos cum divina gratiâ ab bene operandum excitemus. Non tamen erit idem si verbo *vocandi* utamur, quia licet vocatio etiam sit excitatio, non tamen omnis excitatio est vocatio. Unde etiam verbum *vocandi* specialius est quam *excitandi*, nam illud proprie refertur ad alium, et ita in præsentī significat primam Dei excitationem: verbum autem *excitandi* non includit illum respectum, et dici potest de quacumque motione ad subsequentem actum, quæ ex vi præcedentis fit. Et est simile de verbo *imperandi*; nam homo proprie dicitur imperare sibi ipsi: imperium autem quædam excitatio est, et in supernaturalibus actibus media prudentia infusa locum habet.

CAPUT VI.

UTRUM GRATIÂ EXCITANS IN INTELLECTU SIT, ET QUÆ SIT NECESSITAS VEL MUNUS EJUS.

1. *Assertio prima*. — *Gratiâ excitans est in intellectu*. — Cum in superioribus dictum sit initium interioris gratiæ ab excitante auxilio desumi, tanquam certum supponimus hanc gratiâ esse in intellectu, imo et in illo primitus inchoari, ut satis significavit Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 5, docens vocationem fieri tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem; illuminatio enim interna et spiritualis ad intellectum pertinet, et in illo fieri necesse est, idemque multis aliis testimoniis statim confirmabimus. Præterea est hoc manifestum imprimis ex naturali subordinatione potentiarum animæ, nam inter eas præcedit intellectus, sine cujus motione non potest voluntas moveri, etsi ab aliquo extrinseco agente vel objecto excitetur; ergo prima excitatio necessario debet in intellectu præcedere. Atque hoc modo explicuit necessitatem hanc gratiæ excitantis D. Thomas 1. 2, quæst. 109, artic. 2, ad 1, et quæst. 24 de Veritat., artic. 14 et 15. Si tamen generaliter hæc ratio sumatur, non solum probat necessariam esse præviam excitationem in ordine actuum gratiæ, sed etiam in ordine naturalium actuum, et ita illum discursum confirmat divus Thomas auctoritate Aristotelis, lib. 7 Ethicor. ad Eudem., cap. 18, de Bona fortuna, ubi sentit voluntatem humanam non ita esse dominam suorum actuum, quin saltem in prima cogitatione indigeat moveri ab alio, quia non potest movere seipsam ante cogitationem, et consequenter neque potest intellectum ad primam cogitationem movere: oportet ergo ut

ab alio moveatur: et quia omnes causæ inferiores subordinantur providentiæ divinæ, talis excitatio, etiam in naturali ordine, principaliter in Deum reducitur, ut in libro 2 explicavi. Quamvis autem hæc ratio, ut dixi, ad utrumque ordinem gratiæ et naturæ communis sit, unicuique est cum proportionem applicanda, quia motio primi moventis est accomodata ultimo fini: per gratiâ autem moveatur homo ad finem naturam superantem; ergo prima motio quæ per excitationem fit, esse debet per motionem ejusdem ordinis, et quæ a Deo auctore gratiæ procedat, quo discursu utitur etiam divus Thomas 1. 2, q. 69, artic. 6, dicens, cum Deus convertat omnia ad seipsum, homines tamen convertere ad se, ut ad specialem finem cui intendunt et cui cupiunt adhærere sicut bono proprio, secundum illud Psalm. 72: *Mihi adhærere Deo bonum est*. Et dicta quæst. 24 de Veritat., artic. 15, id declarat, quia modus præparationis et conversionis ad Deum ut supernaturalem finem est homini naturaliter ignotus, et ideo necesse est ut ad illum assequendum speciali modo divinitus dirigatur et gubernetur, quæ directio per sanctam cogitationem inchoatur.

2. *Confirmatur ulterius ex doctrina Augustini*. — Est etiam etiam hæc doctrina D. Augustini, qui necessitatem hujus gratiæ excitantis ad sanctam cogitationem ubique reducit, præsertim in dicta quæst. 2 ad Simplician., ubi circa finem ait: *Quis potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod tunc delectare possit, vel delectet cum occurrerit*. Eandem doctrinam habet lib. 2 de Peccator. merit., cap. 17 et 18, et lib. 2 contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 8; semperque ad hoc inducit illud 2 ad Cor. 3: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Est autem naturale intellectui ut, ad primam suam cogitationem, ab extrinseco objecto, vel quod suppleat vicem objecti, moveri incipiat, et ideo in hac excitatione gratiæ id servari necesse est, imo in ea est major necessitas, quia intellectus magis distat, magisque est in pura potentia, respectu objectorum quæ ordinem naturæ superant, et ideo necesse est ut per influxum incipiat in actum reduci. Quamvis autem naturale sit intellectui per sensum excitari, tamen divina virtute et per auxilium gratiæ potest aliquando

interna tantum motione excitari, quamvis frequentius et regulariter mediis externis objectis illuminetur. Et ideo D. Augustinus duos modos hujus excitationis, internum nimirum et externum, sæpe distinguit, ut lib. 83 Quæstion., quæst. 68, ait: *Quoniam neque velle quisquam potest, nisi admonitus et vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operatur in nobis*. Et ibidem subdit de Pharaone ipsum non latuisse quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joseph, et illius (ait) *rei gestæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Israel misericorditer tractans, non esset ingratus*. Simili modo, libro de Spirit et litter., cap. 34, dicens: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiâ justificantem credendo confugiat; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est*. Atque eodem modo D. Prosper, libr. 2 de Vocat. gent., cap. 25 et 26, et libr. contra Collatorem, explicat hanc gratiâ excitantem nostra cognitione incipientem, partim per extrinseca objecta vel signa, partim per internam revelationem vel monitionem.

3. *Assertio secunda*. — *Exterior excitatio ab interiori non separatur regulariter*. — *Notatio prima*. — *Excitatio mere interna communiter fit per species haustas a sensibus*. — *Notatio secunda*. — *Cognitio naturalis causata per signa quæ movere possunt intellectum, non pertinet ad internum auxilium gratiæ*. — Quamvis autem, ut dixi, excitatio hæc interior possit ab externa separari per virtutem gratiæ, quia Deus in actione sua non pendet a sensibus, sed potest virtute sua immediate immutare mentem, et loqui ad cor hominis, nihilominus exterior excitatio ab interiori non separatur: nam si vox vel alia species sensibilis perveniret ad sensum, et non attingeret intellectum, eumque admoneret, non posset talis motio externa inter auxilia gratiæ computari, quia nullum adjutorium ad bene operandum præberet. Deinde circa priorem excitationem mere internam, advertendum est, licet posset a Deo fieri per species supernaturales et infusas vel per accidens, vel etiam per se, nihilominus regulariter et secundum ordinariam legem non ita fieri, sed movendo et excitando

species a sensibus acceptas, ad aliquid salutare cogitandum, quod intellectus facere sua voluntate non posset. Quod si interdum Deus præbet novas species, in eo supplet vicem sensibilibus objectorum, et cum per eas non elevetur homo ad cogitandum sine dependentia a phantasmatibus, necesse est ut cum eis dentur phantasmatibus proportionata; imo verisimile est talem impressionem specierum a phantasia incipere, et illa mediante ad intellectum transire media affectione intellectus agentis, quia in operibus gratiæ non multiplicat Deus miracula non necessaria, sed ubi commode fieri potest, naturalem ordinem servat. Ubi autem hæc impressio specierum per divinam actionem antecedit, licet ad beneficia gratiæ pertineat, quia supernaturalis est saltem in modo, non est tamen interna gratia excitans, sed potius ad exteriorem gratiam spectat, quia per se et ex natura sua per sensibilia objecta fieri posset. Unde a fortiori, circa alium modum externæ excitationis, advertendum est quod, licet per externas voces aut signa imprimantur species, quæ possunt etiam in intellectu aliquam naturalem cogitationem excitare, nihilominus illa non pertinet ad proprium internum auxilium gratiæ excitantis, quia illa cogitatio revera fit solis viribus naturæ, et solum ea quadam exteriori gratia, quæ est quasi plantatio et rigatio, de qua dixit Paulus: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Item illa cogitatio est a nobis sicut ex nobis, sicut aliæ cogitationes naturales, quia propria virtute intellectus fit, solumque requirit impressionem specierum, quæ a talibus objectis sensibilibus naturaliter etiam fit; at vero pia cogitatio, quæ est gratia excitans, talis est ut ad illam non simus sufficientes ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo esse debeat. Denique gratia, quæ datur ad illam cogitationem, non transcendit legem vel doctrinam; unde Pelagius (ut in lib. 1 et 3 sæpe advertimus) in hoc sensu etiam admittebat excitantem gratiam et inspirationem; Augustinus vero contra illum urget, exigendo, juxta Scripturas, altiore gratiam excitantem, quam internam doctrinam et occultam gratiam vocat, ut videre licet in toto libro de Gratia Christi, et aliis frequenter, sicut (ut ita rem explicem) etiam est interna et spiritualis cogitatio, quæ divina virtute fit in intellectu et ab intellectu, mediis speciebus ab exterioribus signis intellectui impressis.

4. *Assertio tertia.* — *Munus et necessitas gratiæ excitantis colligitur ex dictis.* — Ex his

ergo satis declaratum relinquatur munus et necessitas hujus gratiæ, quatenus ad intellectum pertinet. Nam munus illius, quæ vox ipsa præ se fert, est actu movere et monere hominem, ut rebus divinis et supernaturalibus afficiatur: necessitas autem partim provenit ex ea generali ratione, quod homo non potest seipsum ad primam cogitationem movere, partim ex impotentia naturali hominis ad res supernaturales cognoscendas, propter quam necesse est ut illa prima motio ex gratia procedat, et utrumque significatum est ab auctore libri de Ecclesiast. dogmat., cap. 20, dicente: *Manet ad salutem querendam libertas arbitrii, sed monente prius Deo et movente ad salutem, et ita initium salutis Deo operante habemus;* et eandem sententiam continent quæ supra ex Augustino retulimus, præsertim in quæst. 2 ad Simplician., ubi in fine addit: *Voluntas nisi aliquid occurrat, quod invitet animum, moveri nullo modo potest.* Hac ergo de causa præcedere excitationem in intellectu necesse est.

5. *Dubium.* — *Assertio quarta.* — *Non sufficit apprehensio, sed requiritur iudicium imperfectum.* — Quoniam vero in intellectu apprehensio et iudicium invenitur, inter quæ apprehensio ordine naturæ præcedit, dubitare quis potest an prævia hæc excitatio simpliciter necessaria, in prævia apprehensione tantum consistat, vel etiam iudicium requirat. Respondetur nec sufficere apprehensionem solam, quæ non includat aliquam cogitationem rei apprehensæ, et consequenter iudicium aliquod, licet imperfectum, neque etiam requiri iudicium perfectum et consummatum, quod cum perfecta cognitione et deliberatione fit. Ratio prioris partis est, quia hæc excitatio talis esse debet, ut possit in voluntate aliquem affectum commovere, nam ad hunc finem datur, ut ex dictis allegatis Conciliis et Patribus constat. Ad movendum autem affectum, non sufficit quælibet apprehensio, sed necessarium est aliquale iudicium, ut nunc suppono. Ratio vero alterius partis est, quia ad primum motum voluntatis non requiritur perfectum iudicium: hæc autem excitatio intellectus satis est ut proxime moveat voluntatem ad aliquem motum indeliberatum, qui solet primus appellari. Item perfectum iudicium de se supponit voluntatem applicantem intellectum, vel ad perfecte considerandum, vel etiam ad ipsum iudicium ferendum; ergo non oportet ut tale iudicium præcedat in intellectu per modum puræ gratiæ excitantis, sed satis est quod præ-

cedat illa cogitatio quæ ad invitandam voluntatem sufficiat, et ut illa posita possit etiam voluntas applicare intellectum ad melius considerandum, quod facere poterit, adjuvante gratia, quæ jam non erit pure excitans, ut ex dictis in superioribus declaratum relinquatur.

CAPUT VII.

UTRUM GRATIA EXCITANS IN VOLUNTATE SIT, ET QUÆ SIT NECESSITAS VEL MUNUS EJUS.

1. *Status questionis et ratio dubitandi.* — *Confirmatur.* — Ex dictis in præcedenti capite, colligere aliquis potest excitantem gratiam, in intellectu tantum et non in voluntate esse necessariam: consequens autem non videtur admittendum; ergo. Sequela probatur, quia tota illa necessitas fundata est a nobis in subordinatione voluntatis ad intellectum; ex illa vero solum colligitur necessariam esse excitationem intellectus, quia illa posita potest voluntas se movere, etiamsi ab alio in seipsa non excitetur. Confirmatur ac declaratur, quia motus voluntatis, quicumque ille sit, supponit in intellectu sufficientem cogitationem, ex necessaria et quasi essentiali subordinatione: motus autem perfecte deliberatus voluntatis non habet hanc necessariam subordinationem vel dependentiam a motu indeliberato, ut illum necessario supponere debeat; ergo potest esse in voluntate motus gratiæ adjuvantis seu cooperantis, qui sit plene liber et supernaturalis, etiamsi in ipsamet voluntate non præcedat motus indeliberatus gratiæ excitantis. Quod autem sequela admittenda non sit, probatur; tum quia Concilia explicant hanc gratiam excitantem nomine inspirationis, et hanc dicunt esse necessariam: inspiratio autem motum voluntatis significare videtur, quem eadem Concilia tactum cordis vocant; tum etiam quia videtur inde sequi error Pelagii, qui dicebat prævenientem gratiam necessariam ad bene operandum, tantum esse legem et doctrinam. At vero si gratia excitans solum est cogitatio intellectus, solum deservit per modum doctrinæ revelantis et proponentis voluntati bonum quod amandum est.

2. *Suadet sententia negans necessariam esse gratiam excitantem in voluntate.* — In hoc puncto videri potest alicui non esse inconveniens concedere excitantem gratiam non esse necessariam in voluntate, id enim indicare videtur Alexander Alens., 3 part., quæst. 61, memb. 6, art. 3, alias 7, memb. 3; dicit enim excitare liberum arbitrium esse effectum gra-

tiæ; tamen quia liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis, excitare pertinere ad rationem, justificare autem ad voluntatem. Ubi excitationem tribuit soli intellectui, et inter illam excitationem et illum motum voluntatis, quo justificamur, non videtur postulare aliquem motum indeliberatum voluntatis. Neque alii antiqui Scholastici, neque ipse D. Thomas aliquid de necessitate horum motuum indeliberatorum gratiæ, quæ in voluntate præcedere debeat, nobis expresse tradiderunt. Præterea non videtur hæc sententia aliena a mente Concilii Tridentini; nam licet illuminationem et inspirationem nominet, indicat tamen esse eandem motionem; sic enim ait in dicto cap. 5: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens,* ubi quam vocaverat illuminationem, postea inspirationem vocat, et de illa ut de singulari motione loquitur. Et ideo in canone 3, ex parte gratiæ excitantis ac prævenientis solam inspirationem requirit ad actus justificationis: non omisisset autem illuminationem, si illa esset distincta motio, cum sit maxime necessaria. Idemque argumentum sumi potest ex Concilio Arausic., cap. 5 et 6, ubi solam inspirationem requirit, cum tamen in 7 illuminationem et inspirationem appellet. Videtur ergo eadem sancta cogitatio vocari illuminationem quatenus afficit intellectum; inspiratio vero quatenus invitat et metaphorice attrahit voluntatem. Unde etiam sumitur conjectura, quia per actum intellectus sufficienter excitatur ipsa voluntas motione seu tractione metaphorica. Non ergo est necesse ut excitetur quasi formaliter per inhærentem motum.

3. Neque etiam videtur ab hac sententia alienus Augustinus, nam in multis locis quæ jam allegavimus, necessitatem gratiæ excitantis ad sanctam cogitationem revocat, ut libro de Prædestin. Sanctor., cap. 2, et de Bono persever., cap. 8. Illam ergo censet esse sufficientem in ratione excitationis, ut in libr. de Grat. Christi, cap. 13, vocat illam internam doctrinam, dicens: *Si doctrina dicenda est, certe sic dicatur ut altius et interior eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus;* et tract. 26 in Joan., explicat verba illa Christi Domini: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* per alia dicta Petro ab eodem Christo Domino, Matth. 16: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est;* addit enim Augus-